

potuerit, cum nec sententiam absolutam metrum reciperet, nec spiritus animi concitati frena admitteret. Quis tam caeco mentis affectu abripi se patiatur, ut in his, quae nulla ingenii humani vi ad liquidum perduci possunt, sensum suum, fac eum esse satis rectum, elegantem et subactum, ubique, etiam ubi nec declarare eum commode nec argumentis firmare potuerit, pro norma aut lapide Lydio constituere velit!

Versionis olim adiectae, quae ex Oxoniensi editione repetita a desideratissimo viro, Jo. BENJ. KOPPE, emendata fuit, patrocinium suscipere nec alias aut potui aut volui; nunc autem multo minus tantum animi est et alacritatis, ut in ea refinenda operam praestare possim: cum auctoris olim amicissimi memoria tam acerba sit, ut dolor, viri singularibus ingenii dotibus ornati ex hac vita discessu susceptus, qualibet eius memoracione facta recrudescat. Omnino autem de hac versione ita est iudicandum, non esse eam, nec esse debuisse ex eo genere, quo spiritus poetae alio sermone ita reddatur, ut ei nihil decedat; verum, ut interpretacionis perpetuae, pro litteraturae Pindaricae, quae tum erat, conditione, locum illa obtineret, propositum nobis fuisse.

Non igitur est commentarius in Pindarum, quem nunc vulgamus; perpetua annotatio seruat lectioibus habendis: verum primarium consilium fuit, retractare loca minus bene olim in Notis nostris accepta aut perperam tentata. Videbar sic virorum doctorum, qui post me Pindaro operam consecraturi sunt, otio, etiam in refellendis nonnullis a me dictis, consulere, arbitrabarque meorum

rum